

DE HIS QUI IN ECCLESIIS MANUMITTUNTUR.

1.13.1

*Imp. Constantinus A. ad Protagenem, episcopum.*

Iam dudum placuit, ut in ecclesia catholica libertatem domini suis famulis praestare possint, si sub adspectu plebis adsistentibus Christianorum antistitibus id faciant, ut propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscumque scriptura, in qua ipsi vice testium signent, unde a vobis quoque ipsis non immerito dandae et relinquendae sunt libertates, quo quis vestrum pacto voluerit, dummodo vestrae voluntatis evidens appareat testimonium.

*D. VI id. Iun. Sabino et Rufino consss.*

[a. 316]

1.13.2

*Idem A. Osio.*

Qui religiosa mente in ecclesiae gremio servulis suis meritam concesserint libertatem, eandem eodem iure donasse videantur, quo civitas Romana sollemnitatibus decursis dari consuevit. sed hoc dumtaxat his, qui sub adspectu antistitum dederint, placuit relaxari, clericis autem amplius concedimus, ut, cum suis famulis tribuant libertatem, non solum in conspectu ecclesiae ac religiosi populi plenum fructum libertatis concessisse dicantur, verum etiam cum postremo iudicio dederint libertates seu quibus cumque verbis dari praeceperint, ita ut ex die publicatae voluntatis sine aliquo iuris teste vel interprete competat directa libertas.

*D. XIII k. Mai. Crispo II et Constantino II consss.* [a. 321]